



UNIVERSITÄTS-  
BIBLIOTHEK  
PADERBORN

## **Universitätsbibliothek Paderborn**

### **Martini Lvtheri Piae Ac Doctae Operationes In Dvas Psalmorum Decades**

**Luther, Martin**

**Basileae**

**VD16 L 5540**

Psalmvs Qvintvsdecimus, hebræis sextusdecimus

**urn:nbn:de:hbz:466:1-37005**

MAR. LVTHERI OPERATIO  
 PSALMVS QVINTVS DE  
 cimus, hebræis sextusdecimus  
 Michtham Dauid.

NOMEN hoc, Michtham, uarie tractatū est. Antiqua, iuxta Augustinum, habet tituli inscriptio, q̄ eadem dictio hebraica מִיְתָם Chethem, etiam signi-  
 cet notam uel signum, inde Michtham, signatum, notatum sine timore  
 ptum, ad titulum autem crucis id refertur, & si ptum est coactum tamen est.  
 Hieronymus duabus dictionibus uelut etymologifans, reddit, humilis & sim-  
 plicis Dauid, Lyra facit ex ipso nomen cantilenæ decentioris, cuius sententia  
 mihi omnium magis pene probatur. Nam Burgenfis erudite Hieronymus de  
 tentiam reprobat. Ipse uero Burgenfis, dicit hoc uocabulo, aurum uel aurum  
 significari, q̄ Cantic. v. dicitur: Caput eius aurum optimum, præposita ergo  
 litera Mem, fit Michtham, id est ex auro uel aureū. Dicitq̄ eo significari pal-  
 nem Christi, quæ hoc psalmo canitur.

Ex omnibus ijs adiutus, opinabor interim Michtham esse nomen psalmi  
 huius, sic enim iuxta auctoris cuiuspiam nomē, solet poni nomē psalmi quod  
 ut canticum Dauid, psalmus Dauid, testimonium Asaph, intellectus Dauid,  
 & similia, sicuti uidimus & uidebimus. Ita hic, quia insignis est psalmus iste  
 de insigni materia, nempe Christo omnium, capite tractans, noluit communi  
 sed insigni nouo & blando uocabulo eum insignire & appellare Michtham  
 Dauid, quasi diceret, aureolum Dauid. Sic Lyra & Burgenfis in unam senti-  
 unt sententiam, quam utiq̄ ex hebræis fontibus hauserunt. Sunt autem hec in  
 in uniuersum psalmi hoc titulo insignes: Hic quintusdecimus, & quintusdecimus  
 simus quintus, cum quatuor sequentibus. Verum illi multa alia in notulis suis  
 habent, hic ut præ omnibus singularis, simpliciter Michtham uocatur. Neq̄  
 enim ullus alius tam clare de passione & resurrectione personali Christi loqui-  
 tur, unde & Apostoli hūc psalmum, præ omnibus ferme scripturis, allegant ad  
 confirmandam resurrectionem Christi, ut Actuum. ij. &. xij. legimus. Vbi  
 Petrus dicit, Quem deus suscitauit solutis inferni doloribus, iuxta quod im-  
 possibile fuit teneri eum ab illo. Dauid enim in eum dicit, Prouidebam do-  
 minum in conspectu meo semper, quoniam a dextris est mihi, ne commoue-  
 ar, propter hoc lætatum est cor meum, & exultauit lingua mea, insuper & ca-  
 ro mea requiescet in spe: Quoniam non derelinques animam meam in infer-  
 no, nec dabis sanctum tuum uidere corruptionem. Notas mihi fecisti uias ui-  
 tæ, replebis me iucunditate cum facie tua, delectationes in dextera tua usq̄ in  
 finem. Ex his facile patet sensus totius psalmi, nec nostra indiget, quantum  
 ad summam sententiæ pertinet, interpretatione, sed magis fide & uentilatione  
 ne, ut quem sancti Apostoli per spiritum sanctum interpretati sunt tam clare,  
 uerbis tamen obscurissimis plenus est. Et in eo fundatur articulus ille fidei.  
 Nota articu-  
 lum fidei no-  
 stræ. dam fuisse magni nominis Theologos negare, eum articulum in sacris literis  
 inueniri, quo ad eius priorem partem, descensum scilicet ad inferos.

Confirma

CONSERVA me domine, quoniam speravi in te.

**C**HAEC EST uersus posterior pars in hebraeo, nam prior pars, titulo constat, sunt autem uerba Christi per totum psalmum, incipit enim affectu iam pereuntis ac derelicti ab omnibus, & morientis, hoc modo: Ecce ego morior, dereliquit me uirtus mea, dereliquerunt angeli & homines, quoniam demones & omnes homines perdidit me, Perijt fuga a me, & non est qui requirat animam meam, desperatus deploratusque sum omnibus, itaque tu qui solus es mihi seruator, qui perditos seruas, uiuificas mortuos, serua me. Quali dicat illud: Pater, in manus tuas commendo spiritum meum. Non autem pro solo passionis tempore sic petit conseruari, uerum tota uita sese in seruato deo pcedere cōfiteatur, ac quotidie mori, ut Paulus gloriatur, ita semper perit, semperque seruat, utque haec est uita noua fidei & spei hoc psalmo commēdata, uita scilicet crucis, hoc est mortis, nec huius nisi turpissima. Qui ergo in pace agit, uel se suis aut hominum uiribus seruat, nunquid potest dicere deo: Conserua me domine? Respondebitur enim ei, quid conseruem cum nondum pereras nec perditus sis? Discamus ergo tunc potissimum esse clamandum, quando perimus, ubi homines minime omnium clamant, sed desperant potius.

Semper perit  
Semper seruat  
tur pius.

Meritum de  
congruo &  
condigno.

Quoniam speravi in te. Ecce fiducia & spes inuocant, quomodo inuocaret, qui non confideret? ipsa fiducia allegatur pro merito congruo & condigno (ut uidemus) salutis aeternae, cur non allegat opera, & uirtutes pro meritis? Nemo quod in hoc excessu nihil subsistit, nihil seruat, nisi pura & firma fides in solam misericordiam dei nitens, quae nihil de se, sed omnia de deo praesumit, ut monstrat hic Christus suo pulcherrimo exemplo, de quo affectu & emphasi uerborum istorum, speravi, & in te, abūde dictum est psalmo. v. Si enim in aliud quam in deum speretur, iam non poterit dici, speravi in te. Et quis de suis meritis praesumat, quando hic caput omnium Christus, tacitis meritis, in fide & spe miserentis dei solummodo nititur: Desperatis itaque in omnibus & per omnia hic affectus congruit.

Dixi domino, deus meus es tu, bonorum meorum non indiges.

Hieronymus sic reddit partem posteriorem: Bene mihi non est sine te, mihi potius sic reddendum uidetur: Bonus fui non ad te, ut *טובא לי* robathi, sit uerbum absolutum, quod, si liceret dicere, bonau diceret, hoc est, bonus & pulcher fui, ut sit sensus: Ideo dixi ad dominum, quod mihi esset deus a quo omnia haberem, & ipse nihil a me (id quod uere est esse deum) quia non fui bonus in eum, nihil enim in eum beneficij contuli, quis enim prior dedit illi & retribuetur ei? Ro. xj. Quoniam ex ipso & per ipsum & in ipsum sunt omnia. Hunc sensum nosster interpretes uidit, cum dixit: Bonorum meorum non indiges. Et Hieronymi sententia sic consonat, quod non modo nos nihil possumus dare deo, sed omnia bona ex ipso habemus, & sine ipso nihil boni habemus.

Dicit haec autem Christus in commendationem crucis, intutus duas contra *Duacōtraria* rias hominum generationes, quarum alteram, scilicet piorum, uidit ex sese *hominum ge-* sci & sibi parari in regnum & hereditatem, alteram, scilicet impiorum, quia in *nerationes.* cruce scandalifatur, relinquendam esse. Ac si dicat: Ecce morior & in oculis hominum impiorum nihil minus apparet, quam ut tibi placeam, aut rex & haeres tuus *sim futurus,*

sim futurus, sed hoc faciunt, quia rebus & uiribus & meritis suis freti, te-  
non eligunt sibi, nec ex te omne bonum accipere, uerum potius tibi benefi-  
cere praesumunt, id sibi uendicantes erga te, quod expectare debuerant ex  
cum tu ideo mihi omnia auferas, ut ostendas non aliquid ex nobis tibi, sed omnia  
nobis ex te uenire, si in te speremus, & in manum tuam nos proiecerimus.  
Atque ita noui populi dux, hic suo exemplo docet & loquitur, quibus bonum  
nouus populus sit abundaturus, scilicet diuinis tantum, ceteris omnibus in ni-  
hilum redactis. Id quod Iudaeus & uetus populus, temporalis abundantia pro-  
nullo modo sustinet, non capiebat, sed & natura ipsa impatientissime, immo  
deum suum, & ubi se solum coeperit ostendere bonum eorum, cetera omnia au-  
ferre, nihil minus inueniunt sensisse, neque enim opum, nominis, uicis, iusticiae,  
& eorum quae habent ferre possunt ablationem, sola fide & spe clamantes: Con-  
ferua me domine, quoniam speraui in te. Et dixi domino, deus meus es tu, nihil  
boni confero in te. Id enim facit beneficium crucis mortificans nos & nostra omnia  
ut consortes efficiamur diuinae naturae, ut, ij, Petri, j, dicitur.

Et uere arduissimum est, immo ipse infernus, sentire, omnia apud deum esse  
bona nostra, & in nobis nihil esse situm, quo eum demereamus, placeamus, aut  
mitigemus. Ruitque hic funditus impia illa Theologia eorum, qui faciendo quod  
in se est, praesumunt misericordiam dei emercari, aut pro peccatis satisfacere suis  
opusculis, ignorantes hac omnia fieri fide solius misericordiae dei, extinctis ma-  
xime ijs ipsis opusculis ac penitus desperatis, quibus nitentur satisfacere &  
parare sese ad gratiam dei. Atque hinc apparet quid prosit pompa illa satisfac-  
tionum & indulgentiarum, per magistros nostros haereticissimos in Ecclesiam  
dei introducta, suis impijs statutis, decisionibus, reservationibus, indulgijs, con-  
cessionibus, & id genus pestilentissimis nugis, totius orbis animas perditissi-  
me illaqueantes: quibus quid aliud discimus, quam ut credamus deum nostris egere  
bonis, & nos non consortio diuinae naturae, sed deum nostrae naturae consortio  
beatum fore, dum non fide nos in illum paramus transformare, ut sit nobis deus,  
sed operibus illi in nos conamur mutare & nostris uotis similem facere, ut ei  
nos idola simus: sicut dicit apud Isaiam: Cui assimulastis me? aut quam ima-  
ginem ponetis mihi? An non est hoc deum uelle mihi conformare, si huc nitamur  
ut mex opinioni, meo affectui, meo sensui, & desyderio sese attemperet, nisi id  
faciat, non siturus in eum, nec laurus eius manum: cum contra oporteat in ni-  
hilum nos ire, & eum facere in nobis compotem sui sensus, sui uoti & desiderij,  
hoc est, mori, damnari, & in nihilum redigi. Recte ergo huius psalmi titulus est,  
Aureolum, qui de hoc summo & principe affectu loquitur, idque de summo &  
optimo eius genere, qualis in principe omnium Christo fuit. Nam hoc affe-  
ctu discernitur populus Christi, a non populo suo, contemptis omnium perso-  
nis & nominibus, ut sequitur.

Sanctis qui in terra sunt eius, mirificauit oēs uoluntates meas in eis.

Hieronymus: Sanctis qui in terra sunt & magnificis, omnis uoluntas mea  
in eis. Hebraeus, ad uerbum sic: Sanctis qui in terra sunt ipsi, & magnificis, omne  
desyderium meum in eis. Debit itaque omiti pronomem, Eius, & in eis, quod  
quod hebraico idiotismo solet, post relatiuum, Qui, subiungi. Et certum est uer-  
bum, Mirificauit, per interpretem, p nomine, positum, quod adiri, in hebraeo,  
magnificos,

magnificos, grandes, admirabiles, significat, ut psal. viij. Q̄ admirabile est no-  
men tuum in uniuersa terra. Deinde omisit coniunctionem. Et, quæ facile pro-  
tribuit ne ex magnificis faceret, mirificauit. Stet ergo uersus sine hebrais  
mo, Sanctis seu ad sanctos, qui sunt in terra, & magnificos, ois uoluntas mea,  
ut sit sensus, cum in me omnes scandalizentur, qui persona rerum capiuntur,  
& sine inimici crucis, ego uicissim eos relinquo cuiuscumq; sint siue generis si-  
ue nominis, nec moueor q̄ sint semen Abrahæ, eos uero amplector qui sunt  
sancti & magnifici in spiritu, contempti mundo & illis, in his mea uoluntas,  
meū desiderium, mea hereditas, hi mihi erunt populus a patre datus, ubicumq;  
fuerint in terra, nec enim in Hierusalem aut Zion aut Roma erit necessario,  
sed ut Petrus, ait, Act. x. In ueritate cognoui, quoniam non est acceptio perso-  
narum apud deum, sed in omni gente qui timet eum, & operat̄ iusticiam acce-  
ptus est illi. Hoc Iudæi nolebant, hoc eorum hodie emuli Romanistæ negat̄,  
q̄ nos Romæ alligare conant̄ & preualuerūt. Hæc sensum sequentiã inuabūt.

Dicit ergo Christus, Si me qui caput sum, oportet omnibus cõtemptis, soli  
deo inherere, & sic per passionem intrare in gloriam meam, oportebit & eum  
populum, qui mihi in hereditatem datur talem esse, ut nullo loco, nullo gene-  
re, nullo nomine nitatur, nisi hoc uno, ut meum deum habeat, cui nihil tribu-  
at, sed omnia ex eo recipiat, qui redigatur in nihilum, ut fiat oia, hoc est, quod  
Matthæi, xxiij. dicit: Si dixerint uobis, Ecce hic est Christus aut illic, nolite  
credere. Nescit enim locum christianus homo, nec ullum temporale, licet ho-  
die impij pontifices Romani cum suis adulatoribus nobis hanc sententiam  
damnarint, ut hereticam, & Romam nobis assignarint, pro loco, in quo Chri-  
stum oporteat inuenire, affirmantes deum suis uotis, uerū ipse pulchre  
contrarium non modo hic docet, sed & reipsa ostendit, dum nõ nisi Satanam  
Romæ sub suo noie regnare permittit, ut omniū palpat manus, & totus cer-  
nit mundus.

Diximus in superioribus, sanctum illud esse, quod in separato & abscondi-  
to est & conspectu solius dei, non illud prophanum sanctum, quo hodie tan-  
tum, domus, uestes, clerus a pontificibus sancta uocant̄, ad fallendos animos  
hominum, sed quo Sp̄s sanctus sua unctione sanctificat, Ita sancti sunt non  
Iudæi, non clerus, non ullius nominis homo, nisi fide inherens deo, per eam  
particeps eius nature factus, cuius uita abscondita est cum Christo in deo, ex-  
teris omnibus dat Christus libellū repudiij hoc uersu & sequentibus, dū dicit,  
Voluntas mea ad sanctos terræ & magnificos, quasi illud psal. c. dicat: Oculi  
mei ad fideles terræ, ut sedeant mecum, quo repudio & Malachiæ, .j. ad Iudæos  
dicit: Non est mihi uoluntas in uobis dicit dominus exercituum, quia magnū  
est nomen meum in gentibus. Est aut̄ eadem dictio uoluntas hoc uersu, quæ  
psal. i. In lege domini uoluntas eius. Magnificos similiter in spiritu appellat,  
cum coram hominibus, cum sceleratis & uiris ignominia & infirmitatem sciē-  
tibus, sicut & eorum caput Christus, habeantur, uerum fide sanctificant, fide  
& magni sunt & admirabiles in oculis dei, ipsi enim animo magno contem-  
nunt omnia bona & mala. Dicit autem sanctis terræ nõ, sanctis cœli, ut de ho-  
minibus in terra loqui se significet, simul ut promissione certa cõfirmet corro-  
boretq; eos, qui in se credūt, ut quantūlibet patiant̄ mala, sciant tamē sese pla-  
cere Christo suo domino, aduersarios uero displicere, itaq; uerbum dulcis pro-  
missionis est hic uersus, fidem excitans & conseruans, sicut sequens uerbum  
aspere cõminationis est, infidelitatem damnans.

Et Facile est

Facile est hic nostram translationē concordare, ut sit sensus, deus creauit in sanctis meis omnia quæ uolui & quæ ego desidero, Volui autē nihil aliud quæ ut mei similes essent, mecum mortificati secundū carnem, & uiuificati propter glorificari, prophanati sancti dici & esse debeant, Verū per spiritum hanc omnes uoluntates meas impleuit & perfecit, solū ergo in his sanctis, non in alijs uoluntas mea est, ubi enim omnes uoluntates meæ esse dicuntur, ubi dicitur in cæteris nulla mea uoluntas esse. Ita fit, ut qui crediderit saluus fiat, qui nō crediderit, damnet, quia oīs uoluntas Christi in illis, in his nulli.

Multiplicatæ sunt infirmitates eorum, postea accelerauerunt, postea congregabo conuenticula eorum de sanguinibus:

Nec memor ero nominum eorum per labia mea,

Hoc uersu alteram generationem describit & repudiat crucis inimicitiam, qua nulla ei uoluntas est, quia se caput propter humilitatem mortis eius non accipit, nec per fidem in deum trāsformari patitur, ut dominū habeat deum suum Christo, sed Idolis cordis sui, & operibus suis se se fatigat, unde hebraice uerba uidentur quæ eorum uim non reddere possit latinitas. Et Hieronymus uariet a nostro. Multiplicabunt Idola eorum post tergum sequentium, non libabo libamina eorum de sanguine, nec assumam nomina eorum in labijs meis. Hunc enim uersum in duos nos diuisimus.

Quod Hiero. Idola eorum, nos infirmitates eorum, hebraice habet אַזַּבִּים Azebotham. Azab autem uerbum significat, cū tristitia & labore aliquid formare, sicut fabri argētarij laborāt, ut imagines forment, Inde psal. cxxij. de hoc tristi diligētique labore, simulachra gentiū dicuntur, Azabim, scilicet de arte & labore, quibus formantur. Et psal. cxxvj. Qui manducatis panē dolentis, Azabim, quod alij panem laborantiū cū dolore, alij panē erumnosum. Quicquid sit in ista uarietate, in hoc omnia conueniūt אַזַּבִּים Azabim esse, id quod dicitur & dolore paratur & formatur, Quo nomine spiritus appellat impiorū dogmatum & operū magistros, quæ & Idola eorum sunt, quæ mendaciū multo labore & cura opus habeat, ut uerū appareat, cum econtra prudentiū doctrinā faciat, ut Proverb. & ueritas simplex sit, nec hoc modo solū erumnosi & miseri sunt, sed & operibus ad eadem dogmata factis, cum enim fide uacui sint, doctrinā & operibus hominū fatigantur assidue necesse est, hos superius in uocabulis Auen & amal, & psal. ix. in uersu comprehenduntur in consilijs quibus cogitant, satis descripsimus.

Horum studium Isaias falsissima parabola taxat. xliij. longo sermone textu inducens plastēn Idoli, qui locus maxime ualeat ad hunc uersum, qui uolet, legat. Itaq; siue Idola siue infirmitates dixeris, recte dixeris, modo impium inuile, triste, & infirmum studium eorum intelligas, qui extra fidem suis operibus & doctrinis, deo, nescio quæ reddere uolunt, non formari a deo, sed formare deum uolentes, dixi enim superius, qui aliter de deo sentit, quæ sententiā est, deum sibi, non se deo afformat, at sine fide nemo recte de deo sentit, ideo recte Isaias ibidē dicit, plastēn Idoli omnes nihil sunt, quis formauit deū & confluauit sculpsit ad nihilum utile: ecce omnes participes eius confun duntur, fabri enim sunt ex hominibus: Cum enim per hanc sese firmare præsumant, magis inhi-

gis infirmantur, & cōscientia de die in diem peius habet, ideo Idola eorum in quibus confidunt sunt infirmitates eorum, quibus magis ac magis assuescūt deo diffidere, atq; quo plus diffidunt eo plura sibi formant Idola, unde hebræus dicit, Multiplicabūt Idola sua, actiuo uerbo, ut peruersum & infelix studiū eorum exprimat, qui semper discunt & nunq̄ ad ueritatē perueniunt, semper iustitiam sectantur & in legem iustitiæ nō perueniunt, infinitis hac causa re- pertis doctrinis, sectis, operibus, seruiendi deo, ut in Iudæis hodie cernit, multo magis autem in papalibus Christianis: Cum enim conscientia eorū non sit quæta, nec aliam uiam pacis norit, q̄ opera & dogmata sua, necessario miscet se infinitis uarijs quæstionibus & studijs, in nullo eorum fixa & contenta, ut testatur nimis abunde experientia ubiq;: Sic hodie Collegia & monasteria cū fidei sint ignotissima, quid sunt nisi carnificinæ conscientiarū infelicissima: qui dehinc miseram uulgam, cuius moderatores sunt, sui impijs opinionib; execrant, pro fide opera sua docent, ita cæcus cæcum ducit, & ambo in foueā cadunt, ut longe sit eligibilis ac tutius hodie bubulcum aut fabrum cuiusuis artis fieri, & uxore ducta cōmuni uita agere, q̄ religiosum aut sacerdotē fieri, aut literis tantūmodo uacare, quia hi a fide omnium minime sunt remoti, præsumentes de alijs illis optima, de se nihil. Q; si fides resurgeret, nullum tum uitæ genus spernendum aut periculosum foret.

Postea accelerauerunt, uarie & hoc translatum & expositum, alijs acclama- uerunt ali; dotauerunt, Hiero. post tergum sequentiū, ego nostrum interpre- tem sequor, ut sit sensus: Postq̄ omnia impij infelici studio laborauerint, tan- dem nihil consequunt, nisi maiorem fugam, pauorem, confusionē cordis, si- cut ex Isaiā retuli, participes eius confundent oēs, solus enim is qui confidit in dño, nō festinabit, sed sicut leo cōsudet & ad nullius pauebit occursum, ubi impius fugit & festinat ad sonitū folij uolūtis, ut superius dictum est psal. 7. Im- pius sicut puluis ante faciē uenti. Sic Isaiā. xxx. Si reuertamini & quiescatis sal- uti eritis, In silentio & spe erit fortitudo uestra, & nolulistis & dixistis, nequa q̄, sed ad equos fugiemus, ideo fugietis, & super ueloces ascēdimus, ideo ueloci- ores erunt qui persequētur uos, Mille homines a faciē terroris unius, & a faciē terroris quin; fugietis, donec relinquamini, sicut malus nauis in uertice mon- tis, & quasi signū super collē. Talis festinātia, fuga, & pavor, est ipsa mala con- sciētia, quæ semp fugit & nunq̄ effugit, semp timet & semper accidit quod ti- met, nunq̄ quæta, quia nō est pax impijs, ideo recte dicit, q̄ pro pace conscien- tiæ multiplicant Idola sibi, & tamen post hæc omnia non nisi accelerationem, seu melius fugam & festinantem pauorem auxerunt.

Non cōgregabo conuenticula eorum de sanguine. Hic plane ipse Christus quæstiones illas infinitas de Ecclesia sua dirimit, quā ali; uirtualē, ali; repiesen- tatiuā, ali; aliam sinxerunt, Christus dicit se non cōgregare eos qui sunt ex san- guinibus, sicut Iohā. 1. dicitur. Qui non ex sanguinibus, neq; ex uoluntate car- nis, neq; ex uoluntate uiri, sed ex deo nati sunt. Eundē locum Paulus ut ubiq; ita ad Ro. & Galatas ex professo & magnifice tractat, ubi probat, Non omnes filios carnis, esse Israel, sed solos filios pmissiōnis, & filios liberæ Sara, nō an- cillæ Agar esse semē Abrahæ, ut Ecclesiam Christi prorsus omni persona exu- at, ut, sicut alibi dicit, In Christo neq; sit masculus neq; foemina, neq; Iudæus neque græcus, neq; liber neq; seruus: ita neq; Romanus neq; Germanus, sed qui ex fide sunt benedicuntur cum fidei Abraham.

Quare detestanda est impietas Romana, quæ de Ecclesia somniat sua men- te ij dacia, cum

dacia, cum Ecclesia aliud esse non possit q̄ cōgregatio spiritualis hominū in aliquem locum, sed in eandem fidem, spem & charitatem spiritus: Nō contenta, Ecclesiam alligat loco, scilicet Romæ, neminem esse Christianū mittens, nisi fuerit Romanus, impudenti temeritate contra articulum fidei tuens suum mendacium, Credimus enim Ecclesiam sanctam catholicam esse cōmunionem sanctorū, Nō dicimus cōmunionem Romanorum aut aliorum quorumcūq; locorū, Christus quoq; dixit Luca. xvij. Nō ueniet regnū dei cō obseruatione, nec dicent: Ecce hic, aut ecce illic, ecce enim regnū dei est, Idem Matth. xxiiij. Multi uenient in nomine meo, dicētes: Ego sum Christus, & seducunt multos, Tunc si dixerint uobis, Ecce hic est, aut ecce illic, nolite credere. Contra tam manifesta uerba audent impij isti dicere, Ecce Romæ est Ecclesia, Romæ est Christus, Romæ est uicarius Christi.

Quando ergo tempora ista iam currunt, de quibus Christus locutus est, & furor impietatis Romanæ Euangelio tam manifeste resistit, nec intelligens, nec intelligere sinens quid sit Ecclesia, Armemus nostras intelligentias uerbo dei, firmiter credētes & certissime scientes, Ecclesiam Christi, esse aliud nihil q̄ spirituales fidelium collectionem, ubi ubi terrarū fuerint, & quicquid est carnis & sanguinis, hoc est, quicquid est personæ, loci, temporis: & eorū quibus caro & sanguis uti potest, nō pertinere ad Ecclesiam dei, Ideo cauemus omni studio ne cum lupis ululemus, & cum Romanistis romanisemus, hereticos eos blasphemando, qui sub Romanæ Ecclesiæ seu Curiæ potius collectione non fuerint. Christus enim & Apostoli Petrus & Paulus quia uiderunt necessarium esse, ut corpora & nomina eorum in aliquo certo loco haberentur in terris: Et hanc necessitatem futurā esse occasionē superstitioni & impietati huic, ut Ecclesiam eisdem locis affigerent, & sic Ecclesiam e spirituali collectione in temporalē traherent, præuenerunt ac sedulo nos monuerunt: insuper ne Christum ipsum, in hoc ipsum impietatis, sibi pro patrocinio haberent, curauit incōprehensibili cōsilio, ut Hierusalem uastaretur & conuulsetur a gentibus, quod nisi fuisset factum, nemo prohibere potuisset, quin locū Hierosolymitanum tanta specie & titulo præditū, pro Ecclesiæ capite crexissent.

Hierosoly =  
ma quare  
destruata.

Romanis  
Christus do-  
minus resistit

Confessio  
Martini  
Lutheri.

Vbi hoc prohibitum est, coeptum est, Romæ id mali, titulo sanctorum Petri & Pauli, uerbis Christi, Tu es Petrus, & pascere oues meas, magna specie huc detortis. Verum & hic resistit Christus potenter, nec enim permisit unq̄ fieri, ut Ro. Pontifici esset subiectus totus orbis, quod tamen fieri oportuisset, si uere diuino staret ille primatus, quia uerbo & promissioni diuinæ nemo potest resistere, nec sic tamē aperimus oculos, ut signenta Satanz uideamus. Vnde Petrus has fictiones pulchre prædixit, ij. Pet. ij. Erunt in uobis pseudomagistri (pene dixisset Magistri nostri eximij) in avaritia fictis uerbis de uobis negociantes. Quid enim magis fictum est, q̄ dicere, q̄ petra significet potestatem regni tuam Petri, & pascere, monarchiam Papæ: aut ad quid ualet ista monarchia, nisi ad avaritiam, quæ suū quæstum in nobis exercet?

Quare ut meum redimam conscientiam, neue in hora mortis meæ & extremo iudicio rationem impij silentij expostuler, his scriptis corā omnibus, qui legunt & audiunt, & coram cælo & terra, affirmo & confiteor, Articulos illos quos Lipsiæ Euangelicos & Christianissimos suscepi defendendos, Ecclesia uniuersalis est prædestinatorum uniuersitas, & eos qui ex hoc sequuntur, dicoq; & protestor, eos fuisse impie damnatos, Conciliū Constantiense, quod in hanc partē, fuisse cōciliabulū Satanz, dum eos damnauit: Dāno, exco-

municō,



inimico, deuito, detestor omnes, qui huic concilio affuerunt & consenserunt, aut adhuc consentiunt, siue sint Papa, Episcopi, reges, aut quicumque: dehinc, ne sanguine innocenti polluar, ulterius protestor, Si Iohannes Huss & Hierony. de Praga sunt ob nullam aliam causam (sicut uidetur) exusti, quod propter hos articulos, factam esse eis iniuriam, & Papam cum suis esse & fuisse crudelissimos & impiissimos homicidas, inimicos Christi & Ecclesie eius, Testes erunt mihi huius fidei & confessionis meae quicumque hanc legerint, ego sane ignorabam Lipsie sensum articulorum eorum, quorum uerba uidi esse christianissimam, ita non potui tum sensum, quem adulator Papae dedit confutare. At nunc cum extet Iohannis Huss liber, ex precedentibus & sequentibus uideo, & sensum eorum esse christianissimum, Quid est Papa: quid mundus: quid principis mundi: ut propter cum ueritatem Euangelij, pro qua Christus mortuus est, neges ualeat qui ualeat, pereat qui perit, ego sic sentia deo propicio semper.

Ad psalmum reuertamur, Christus aduersus presumptionem Iudaeorum primo loquitur, oino extinguens omnia in quibus fidebant, Fidebant autem in tria, Primum quod essent semen Abrahae & de sanguine patriarcharum, ideo soli uolebant esse populus dei, Contra (inquit) hoc ipsum quod uos pro argumento ducitis pro uobis, uerto contra uos, ut per hoc ipsum non sitis populus meus, per quod praesumitis esse populus meus, usque ad me etenim fuistis populus meus externa synagoga, At nunc impleta promissione & lege, populus meus non est ex sanguine, sed ex spiritu. Alterum, quod essent multi, nec enim credibile eis erat, totum populum, aut tam magnam eius partem relinquendam esse. Dicitio enim haec hoc loco, teste Reuchlino, significat summam quandam hominum congregatorum, ut & psal. xli. Quam transibo in locum tabernaculi. i. transibo cum quadam summa hominum congregatorum, quasi dicat, manebo in communionem sanctorum, ita hic non congregabo eos, qui se magna summa agglomerant, quasi ob multitudinem uelint digni haberi qui recipiantur, sed non sic impij, Consummationem enim & abbreviationem faciet dominus. Et Isa. x. ita ut si fuerit populus tuus Israel, sicut arena maris, reliquit tam ex eo conuertentur. contra argumentum a multitudine, quo non minus quam generis & sanguinis argumento pertinaciter nitentur, multa passim in alijs quoque prophetis dicuntur. Iactabant enim pax, pax, & deum non esse iratum tantae multitudini, & quod tanta multitudo saperet & crederet, non posse falsum esse, hoc est quod dicit, Non congregabo conuenticula eorum, non assumam eos etiam si se ut arenam maris multiplicent.

Tertium erat, Gloria & nomen iustitiae & religionis, quibus celebrabatur, maxime inter se ipsos, pro populo dei, ut qui solus legem accepisset, & cui credita sint eloquia, sicut Paulus dicit Ro. iij. & psal. cxlvij. Qui annunciat uerbum suum iacob, iustitias & iudicia sua Israel, Non fecit taliter omni nationi, iudicia sua non manifestauit eis. Quanto impetu Paulus hanc eorum fiduciam expugnet, Epistolae ad Romanos & Galathas praeter ceteris monstrant, & in hac parte plus quam in prioribus duobus confidebant, ut & si crederent se propter peccata iram meruisse, quantumlibet essent Israelitae & multi, iustitiam tamen fiduciam nunquam ponere potuerat, quae & omnium est pertinacissima, contra quam dicit: Non ero memor nominum eorum per labia mea, Extinguam potius nomina eorum, non censebuntur mihi populus, quia iusti, sapientes, religiosi, magni, alijsque quibuscumque nominibus uocantur, sed eis erit populus, qui spiritu fidei ex me natus fuerit.

Ecce iij Nunc uide

Iudeorum praesumptio in tribus.

*In papillas ex  
tribus.*

Nunc uide an non idem iudicium terribilissimum in Ecclesia agatur in oer-  
lis nostris. Nonne & nos posuimus hæc tria fulcra fiducia superbillitate  
Primum iactant se de successione ac uelut genere Apostolico, & de sanguine  
pompaq; hac inani uolunt pro populo dei existimari, cum sint fide & spira-  
uacui. Et dicunt. Papa est caput Ecclesie. Ecclesiam appellantes hanc congre-  
gationem de sanguine, quicquid Apostolis debetur etiam sibi deberi arrogan-  
res. Deinde quanta bucca extollunt multitudinem: quæ ab eorum parte facit  
quasi ideo recte sapiant, quia cum multis sapiunt, quasi non Christus præce-  
rit: Et seducunt multos. Et Petrus: Multi sequentur eorum perniciem, ut  
paucos relinquit significantes, qui non seducuntur. At hoc argumentum hodie  
seruat papam non minus potenter, quæ primum, quantumlibet sine fide &  
spiritu agant. Tercium uero potentissimum, superstitio, quam legibus & cere-  
monijs sic fundauerunt, ut licet sint impijssimi, tamen iustitias & merita sua,  
quasi soli sint christiani, cæteris uendunt, pro tota substantia mundi, nec enim  
nisi nominibus ipsis, sine ulla re, hic regnant, sed Christus non assuit eorum  
nomina per sua & suorum labia: Non docet has eorum iustitias & ceremonias  
quin damnat & pugnat contra eas, ut statuatur iustitiam dei, quam nos opera-  
te lege & superba fiducia deo offerimus, ut steterit uerbum: Bonorum merita  
non indiges, nec benefecimus tibi, sed tu nobis. Et hæc uoluntas est Christi in  
suis sanctis, ut sic sapiant & agant, cæteris omnibus cum suis idolis & iactan-  
tia reprobatis.

*Christi resur-  
rectio & reg-  
num.*

Ita uidemus scopum psalmi esse, quod Christus cum sit predictus, magnus rex  
& dominus futurus in magno & glorioso populo, contra omnium sensum  
incipit regnare: Cæteri enim reges nascuntur ut regnent, hic moriturus reg-  
net, alij quoque populi nascuntur, quibus imperent: ut sit regnum admirabile,  
quod non ex generis sanguine & dignitate, nec ex multitudine & potentia  
mundi, nec ex iustitijs & uiribus proprijs, nec ex ulla re quæ uideatur in mundo  
sed e spiritu in conspectu dei subsistat. Sic psal. xxj. Et animam suam non ui-  
uificabit, & semen seruiens ei annuntiabitur domino generatio uentura. Et  
Isa. liij. Si posuerit pro peccatis animam suam, uidebit semen longeuum, & dis-  
partiam ei plurimos. Sic & II. ij. Et erit requies eius gloria, in quibus omnibus  
locis mors & resurrectio Christi describitur, sicut & hoc toto psalmo. Nec enim  
capit ratio, ut gloria regni cedat mortuo & quiescenti in sepulchro, & genera-  
tio noua, sit semen seruiens ei, qui animam suam ponit & non uiuificat, & po-  
nens animam pro peccatis, uideat semen longeuum. Quis enim moriens di-  
cit, ecce rex eris & populi sub te cadent in æternum? Nascenti sane hæc solent  
optari, necesse ergo fuit eum a mortuis resurgere, ut scripturæ istæ implerentur.  
Ita hic cum moriens petat se conseruari, tradens animam in manu patris, ta-  
men dicit: Voluntatem suam esse in sanctis, & hæreditatem suam non fore ex  
sanguinibus, sed ex præclaris, ut dicetur manifeste hoc miraculo uerborum,  
resurrecturum sese docens, neque enim mortuus regnaret, & tamen moriens dicit sese  
regnare. Recte ergo Paulus ad Timotheum scribit, ut meminerit dominum  
Ihesum resurrexisse, addens secundum scripturas, sicut & canimus in symbolo  
lo, scilicet quod uehementer ab omnium sensu, mortuum regno ponit  
& opus sit his scripturis nos nisi, quas tamen nisi spiritus fuisset interpretans  
quis intellexit: quis enim in his uersibus Christum resurrecturum legisset  
aut quot sunt, qui etiam hodie legunt hoc sensu hunc locum?

*Dominus*

Dominus pars hereditatis meæ, & calicis mei.

Tu es, qui restitues hereditatem meam mihi.

Hierony. posteriorem partem sic uertit, Tu possessor fortis meæ, pronomen mihi superfluit. Est autem uersus hic sumptus ex lege Mosi, ubi Leuitis & Sacerdotibus scribitur non esse datam hereditatem in ter filios Israel, sed dominus (ait) est eorū hereditas. Cuius amulatione & hic dicit, Dominus est pars mea hereditaria, & arbitrator, ex figura ista, distributa inter filios Israel terræ, & sacerdotibus negata, prophetam, illustrante spiritu, psalmum hoc loco hausit, scilicet non fore Christi hereditatem communem hominibus, nec de sanguinibus & terrenis acceptam, sicut leuitarum nulla erat inter filios Israel. Partio autem, hic esse hebraicum, pars hereditatis, pro pars hereditaria, seu portio mihi distribuenda, Multi enim per hereditatem, intelligunt Ecclesiam, cuius sortem esse dominum certum est, sed pro persona sua loqui Christus mihi uidetur, de hereditaria portione, quæ se contingat, quod confirmat id quod sequitur, Et calicis mei, Diximus enim psal. x. Calicem usque scripturæ, significare, mensuram unicuique diuinitus definitam & reddendam pro meritis suis, & calicem bibere, sit pati, uel accipere hanc definitam mensuram, Et hic quoque hebraismus est, Dominus pars calicis mei, pro dominus, calix meus, seu id quod mihi definitum est reddi, ut nihil aliud quæ ipsum dominum accipiam pro retributione.

Mirum itaque, moriturus gloriatur se habere hereditatem, eam quæ sit ipse dominus, iterum indicans sese suscitandum a mortuis quo accipiat hereditatem hanc promissam. Quid autem non habet, qui ipsum omnium dominum habet? Quis autem habet dominum omnium? qui nihil aliorum habet, & non quærit, nisi ea quæ dei sunt, etiam per mortem & omnia mala, ita fit, ut dum omnia amittit, omnia inueniat, dum nihil hereditatis elegit, omnia sua sponte ueniant. Ideo secure dicit, Tu es qui restitues hereditatem meam, Melius habet, Tu statues hereditatem meam, non enim de restitutione, sed constitutione loquitur, ac si dicat, Meum est omnia facere, & pati, omnia amittere & relinquere, ut tibi obediam; Tu sine mea cura, statues & firmabis, quæ mea esse debeat possessio. Ego non quero eam, contentus quod tu sis hereditas & portio mea, quem ubi habuero, hereditas mea bene fundata, & posita in tuto est, ita uidemus quæ nihil Christus sibi arroget, quæ nihil sit pro se sollicitus, tantum cuius ut deo patri obediat, cætera omnia curata secure presumunt. Et nos hominum in quibus tamen serui sumus alieni, quasi in manibus nostris sita sit uel salus uel perditio Ecclesiæ, cur non Romanenses sui seruilis primatus, causam, simili fide, committunt deo, cum Christus hæres & dominus omnium, commendet tamen eam patri, nihil pro ea sollicitus.

Funes ceciderunt mihi in præclaris:

Etenim hereditas mea præclara est mihi.

E c

iij

Perlat

Perstat in usu scripturæ, quo funes seu funiculi dicuntur mensuræ ditionum seu limites, quibus diuiduntur hæreditates terræ, ut psal. lxxvij. Et forte dicitur eis terram in funiculo distributionis. Et. ciiij. dicens, Tibi dabo terram. Cuius funiculum hæreditatis uestre. Vnde Hierony. trãstulit. Lineæ ceciderunt mihi in pulcherrimis, etenim hæreditas speciosissima mea est. Deutro. xxxii. Constituit terminos populorũ iuxta numerum filiorũ Israel, pars autẽ dñi populus eius, iacob funiculus hæreditatis eius, Quod hic sp̃aliter tractat, q. d. Sicubi funes ceciderunt non ultra q̃ ubi erat numerus filiorũ Israel, & ubi funiculus numerus filiorũ Israel, ibi incipiebant termini populorum, ex quibus nullus erigat, sed pars eius & funiculus erat iste populus: Ita nunc quoq̃, non affertur quãlibet fecem hominũ de sanguine, sed sicut illic feci corporales separationes, nem limitum populi mei a gentibus, ita nunc magis multo cõstitui sunt mihi termini sp̃uales populorũ, iuxta numerũ filiorũ sp̃ualium, ut ubi ubi per orbẽ definunt esse fideles mei, ibi incipiunt esse populi infidelium, nec quicquid sp̃u spiritus licet misceantur corpore. Fides autẽ est limes, seu funiculus iste distributor hæreditatis, ipsa enim terminat fidelium numerum, extra quã, quicquid erit, termini sunt populorum, & appellatur termini impietatis. Malachi. Qui enim crediderit saluus erit: Qui non crediderit condemnabitur. Ita videmus Ecclesiam prorsus nõ posse dici, nisi eam quæ credit, quare pontifices Romani cum sua Ecclesia vere sunt Idola & figmenta hominũ impiorũ. Contenti enim hos funes rumpere & extendere, quo uolunt, nempe etiam usq̃ ad non præclara immo ad tenebrosissima, sed frustra, Non enim ait: Extensi sunt, sed ceciderunt, non, uos extendetis, sed de celo cadent.

*Fides funiculus hæreditatis.*

Describit ergo hæreditatem, quam ei dominus statuit, loco eorum, qui sunt de sanguinibus, non congregabo, inquit, illos de sanguine, quos ergo? Præclaros, pulchros, iucundos, dulces, qui sunt hi? Non habent nomen nec personam, non sunt ludæi nec gentes, non Romani, non Babylonii, Non hic aut illic, sed in spiritu sunt, fide puri, pulchri, dulces mihi. Nam hebraea dicitur, in præclaris, proprie, dulces & iucundos significat, ut Christi beneplacitũ in suis fidelibus exprimat. Rursus abominationem eius in infidelibus, & qui in carne & sanguine gloriantur.

Iterum, ut dixi, resurrectio testificat, dum dicit, mihi, cui mihi? nonne tu dicis, Cõserua me dñe: ita uere morior, sed resurgam, & erit mihi hæreditas mea dulcissima. Dicit autẽ pluraliter funes, q̃ Ecclesia tota cum sit una, dispersa tamen est per orbem propter ministerium uerbi & baptismatis, cum unus omnibus non queat ministrare, ut singuli funes, sint singulæ Ecclesie, in quibus idem Christus, idem baptisma, idem uerbum est. Ceciderunt, quia non humano studio & opere, sed uirtute gratiæ dei multiplicanẽ fideles Christi, Suntq̃ nobis omnes fortuiti & quos præuidere nequieramus, qui cõuertuntur, sicut dicit Isaiã. xlix. Et dices in corde tuo, quis genuit mihi istos? ego sterilis & nõ paries, & istos quis enutrit? Sic enim & hic Christus omnia ex patre accipere se ostendit sine sua cura, & cecidisse ei quasi forte funes istos in dulcissimis.

*Ecclesie magnitudo.*

Nec hoc sine emphasi est, quod dicit, ceciderunt mihi, & speciosa mihi. Seu ad me, totũ scilicet contra laruam eorũ, qui Ecclesiã secundũ externã faciẽ metuntur & locis affigunt temporalibusq̃ diocesum limitibus definiunt. Sic enim hodie Ecclesiam alia maiorẽ dicim⁹, terreno spacio & populi multitudine, cui reuera sit solũ fide, spe, charitate, siue magna, siue pulchra, siue fortis: immo quæ in oculis Christi est iucunda & formosa (ut hic dicit) intelligit p̃ antithesim esse mundo &

mundo & sibi amara & deformis, sicut ait, Nigra sum, sed formosa, nolite me  
 cōsiderare q̄ fusca sum, quia decolorauit me sol. i. Christus subiicit me cruci &  
 malis, & sic externe sum nigra, interne formosa: Oportet enim eum qui uult  
 Christo placere, sibi displicere, sibi obscurū esse, si Christo præclarus esse uelit:  
 Qui enim sibi placet, pertinet ad conuenticula sanguinis & carnis, ut quid er-  
 go presumimus in mundo & carne magni esse, Episcopus super Episcopum,  
 Ecclesia super Ecclesiam, cū Christus hic nō in hoc probet Ecclesiam, quo in  
 oculis hominū uideri pōt, sed in eo quod ipse uidet, i. in fide, quæ eam humili-  
 et sub omnibus & crucifiget? Sed sinamus, Hierarchia nostra, nomen habet  
 sacri principatus, ideo pertinet illuc, Nec memor ero nominū eorum per labia  
 mea, opera enim hominū sunt, ideo hominibus placent.

Benedicam dominum qui tribuit mihi intellectum,  
 Insuper & usq; ad noctem increpauerunt me renes mei.

Hiero. & Heb. sic: Benedicā dñm qui dedit mihi cōsiliū, insuper & nocti-  
 bus erudierūt me renes mei. Magnum certe & arduū hic signatur opus, quod  
 est esse consiliariū, hoc est, qui in morte & passionibus, cum undiq; angustiat  
 & pauet, sciat quid sit ei faciendum, quo fugiendum, Qui enim hoc consilio  
 carent, fugiunt & nō effugiunt, Vnde Isā. vii. componit consilium cum forti-  
 tudine, dicens: Requiescet super eum spiritus sapientiæ & intellectus, spiritus  
 consilij & fortitudinis, spiritus scientiæ & timoris domini, Q̄ nisi consilio pol-  
 leas, nulla fortitudo subsistet in morte, Itaq; non solum hoc donum dei est, tu-  
 lisse malum & mortem, sed etiam nosse quō ferenda sint, & unde petendum,  
 sicut Sap. ix. Et ut sciuī, quoniā aliter nō possum esse continens, nisi deus det,  
 Et hoc ipsum erat sapientiā, scire cuius hoc donum esset, Quod ergo fuit con-  
 silium Christo donatum? atq; q̄ nō fugit in morte, non retro abiit, sed dixit: *Cōsiliū Chris-  
 ti in morte.*  
 Cōserua me domine, tradita in manu dei tota sua causa, Ita enim solemus exu-  
 beranti affectu gestire a periculo erepti, non tam q̄ erepti sumus, q̄ q̄ nos ita  
 gesserimus, ut eripi possemus, ibi iucunda narratione recitantur, euitata peri-  
 cula, repulsi casus, frustrata insidie hostium, & omnia illa studia sollicitudinis,  
 quæ prudētes nos fecerat in periculo præsentis, Ita Christus quoq; gloriatur se  
 se prudentem fuisse in malis ferendis, idq; diuino munere, q̄ blasphemij nō  
 responderit, mortem non fugerit, & nullis uerbis aut factis moueri se permi-  
 serit: dulce est enim eius meminisse quo te sentis fuisse adiutum. Inueniuntur  
 sane qui cum ualent recte consulant ægrotis & extra periculum nihil non sa-  
 pient, neminem non docere possint, at ubi ascendunt fluctus in cœlum & de-  
 scendunt in abyssum, anima eorum in malis tabescit, turbantur & cōmouen-  
 tur sicut æbri, & omnis eorum sapientiā deuoratur, ut psal. cvj. dicitur, ut ne-  
 mo magis indigeat consilio, q̄ ij consiliorum principes: proinde insigniter &  
 excellenter hic elucet diuina misericordia, quæ in tempore tantæ necessitatis  
 prope est, & illustrat cor pavidum, inops & egenum, consilio, quod supra ro-  
 gauit, dicens: Cōserua me dñe, Eo enim consilio seruat anima in medio isto  
 umbræ mortis, sed & ipse quale fuerit hoc consiliū sequēte uersu dicit.

Ex ijs intelligi potest, quomodo nostra translatio ad eundem sensum que-  
 at aptari, ut intellectus sit id ipsum consiliū, quo intelligat quid faciat & omit-  
 tat in medio malorum, ne offendat deum, sed unde gaudeat, exulter, benedi-  
 catq; dominum ereptus.

Sed quæ

Sed quid est, insuper noctibus erudierūt me renes meī qui sunt renes Cato-  
sti, qui eū siue emendāt, ut Aug. legit, siue increpāt, ut nos, siue erudiant, ut  
Hierony. & Hebraus: Nisi illud Apostoli Heb. v. uelit, didicit ex his quæ pro  
bi causa salutis æternæ. Et illud Matth. xxvj. Spiritus quidem promptus est, ca-  
ro autem infirma, licet enim esset plenus consilio, sensit tamen reluctanter  
consilio naturā infirmitatis nostræ, qua lucta experimēto didicit obedire, sicut  
& nos eo magis erudimur, quo tentationibus magis impetitur, si prudenter  
& consule eas ferre poterimus, ut quod uidetur contra promptū cōsiliū spū-  
tum facere, ubi uictum fuerit inuenitur eū magis excitasse ac uegiorē reddi-  
disse, sicut Paulus gloriatur. ij. Cor. xij. Cum infirmior fortior sum. Nam uirtus  
in infirmitate perficitur. Et psal. lxxvj. Infirmata est, tu uero perfectiū eam. Ita  
renes Christi, etiā si sancti & immaculati, tamē infirmi exhoruerūt quōdā pas-  
sionem & mortem, cum magis uiuere & bene habere cupiat infirma carnis,  
tamen hoc horrore cōsiliū cogebat magis uigilare & sollicitum esse pro  
quæ dei erant, dictū est supra psal. vij. Renes significare delectationes seu tim-  
concupiscibilem, quæ tristitias odit, delicias ac quietem amat, quæ in omnibus  
hominibus etiam Christo facit, ut dura & amara sit passio & mors, quam spū-  
tu consilij & fortitudinis oportet superari.

*Tentatio eru-  
dit.*

*Renes quid  
significant.*

*Tempus no-  
cturnū aptū  
dei operati-  
onibus.*

*Taulerus.*

Insigniter addit noctibus, melius quæ nos, usque ad noctem, ubi licet, noctes al-  
legorice possint accipi Pro aduersitatibus. Nam renes seu uis concupiscibilis, si  
desint aduersitates, nihil erudiunt, quia non urget nec urgetur, ut sit propriū eius  
in tētionibus erudire & excitare spiritū, tamē nos hic simpliciter sine allego-  
ria tēpus nocturnū accipimus, quod aptū est paucioribus & terroribus omnibusque  
dei occultis opationibus, ut sic tempus respōdeat & operi. Sic legimus Gen.  
xv. post occasum solis inuatum esse Abraham tenebroso & magno horrore.  
Et. xxxij. Iacob luctabat durissime cum angelo usque mane. Sic psal. sequente.  
Probasti cor meū & uisitasti nocte. sicut enim nox est optimū tempus ad orā-  
dum, sicut Christus frequēter orasse nocte legitur. Ita & ad meditandū & uia  
diuina patiendū, sic & Christus suū pauorem cepit cū noctis initio. Sic Iob.  
iij. In horrore uisionis nocturnæ quādo solet occupare sopor hoīes, pavor te-  
nuit me & tremor & omnia ossa mea perterrita sunt &c. multa in scripturis ta-  
lia legim⁹. Nox em̄, quia tūc hō uacat & oīa silēt, reddit hoīem apertissimū ope-  
rationib⁹ illis diuinis, hoc est passionibus internis, quæ sunt pavor & horror  
mortis, quibus uehemēter eruditur spūs hoīs, si prudens fuerit & sustinuerit,  
unde & in prouerbiū ista cessere pphetæ huic, qui sine dubio multa experientia  
ista sibi cognita loquit, sicut dicit psal. xc. Nō timebis a timore nocturno, non  
exprimens quid sit timor nocturnus, quod experientia solū cognoscatur, quod plu-  
ra de istis noctibus uelit allegoricis, Tauleri sermones legat.

Prouidebam dominum in conspectu meo semper, quoniam a dex-  
tris est mihi ne commouear.

Hic aperit mysteriū cōsiliū sui, pro quo dñm benedixit, scilicet quod dñm solū  
pposuerit in cōspectu suo, sed talē, qui sit a dextris eius ne cōmoueat. i. ppi-  
tū & misericordē. Quod principiū psalmi indicauit: Cōserua me dñe, quoniam  
am speraui in te. hoc est quod in superioribus toties dictum est, neminem posse  
se sustinere passionē aut mortē, nisi hoc consilio utatur, & dñm quod potest miser-  
cordissimū sibi præfigat, sicut Sap. j. dicit, Sētite de dño in bonitate. Et psal. iij.  
Multi dicūt

Multis dicitur anima mea, non est salus in deo eius. Tu autem domine susceptor meus es, gloria mea &c. Et psal. xxv. Quoniam misericordia tua ante oculos meos est, & complacui in ueritate tua, diximus enim obiectum spei non esse nisi puram & immeritam dei misericordiam gratuito promissam, & ab indignis inuocandam, Ideo pessimos istos & daemónicos esse consultores, qui passis aut mortibus uel exactorem eis proponunt, Non dedit illis dominus hoc consilium, sed Satan, ideoque desperationi & blasphemis peiores sunt quam benedictioni & gratitudini. Heb. & Hierony. proponebam dominum in conspectu meo, semper facit autem hoc propositio domini, cor animosum, hilare & spontaneum ad omnia bona opera facienda & mala ferenda, & ab hoc proposito sicut sepius dictum est, ordiendae est bona uita, & bonum opus. Quid enim non libentissime faceret & auderet qui confidit se se placere deo, & dominum esse sibi fauentem ac propitium? Quod peccatum quantumuis blandum non contingeret eadem fiducia in deum nixus: uere non facit nec facere potest malum haec fides, sicut nec unci ab ullo malo: Nemo credit quod retrahat a malo & moueat ad bonum ista fiducia, nisi expertus. Quare hoc uersu ipsam naturam affectum, & opus fidei quae est in deum, nobis pulcherrime pingit spiritus, & dominum esse a dextris eius ne commoueat, si firmi ter dominum esse a dextris eius ne commoueat: Et qui manet in eo proposito, quomodo non semper bene uiuet & operabitur? Quis turbo malorum eum subuertet: fundatus est supra firmam petram.

Spei obiectum.

Exordium bonae uiae in fide de spe.

Fidere in deum

Fides autor & origo operum.

Omnia psalmodia summa.

Vnde hebraeus uerbis Emphaticis utitur, ut fidem ostendat esse affectum constantem ac firmissimum, qui nullo tempore nutet aut uacillet Deinde dominum, non enim fides est in nostra opera, immo ulla creaturam, sed in solum deum, unde & Theologica uirtus uocatur, quae circa diuinam misericordiam uersatur, Mala uero conscientia & impietas circa peccatum proprium & liberum arbitrium Tertio, in conspectu meo, ubi fidei uiuacitatem & uigilantiam exprimit, non enim ut illi somniant, fides est habitus in anima subiectus & stertens, sed perpetuo & directo intuitu in deum uersus, unde fit, ut & sit autor & origo operum, immo primus & nouissimus in omnibus operibus bonis, & tota uita. Semper, addit propter utrumque tempus, quia fides tempore pacis bona facit, tempore belli mala patitur, nunquam otiosa, immo semper negociosissima. Ita uidemus quod egregius dialecticus sit Dauid, qui fidem dei tam propria definitione ne differat, & quid aliud sunt omnes psalmi, quam quaedam definitiones, fidei, spei & charitatis: per hos enim affectus uersantur uniuersi & singuli, ostenduntque fidem, spem & charitatem esse proprie quosdam optimos & diuinos affectus.

Quoniam a dextris meis est, id est, in occultis in spiritu praesens est, dum a sinistris in aperto, in carne me persequuntur inimici. Eadem sententia psal. xix. dicitur. Et in potentatibus salus dexterarum eius, id est, dextera eius potenter seruatur, quantumlibet infirmetur sinistra eius. Ita & hic derelinquitur Christus in infirmitate a sinistris, sed suscipitur in uirtute a dextris eius. Dexterarum & sinistrarum tropo utitur scriptura, pro interiore & exteriori homine, ut Christus Matth. vi. Te faciente elemosynam, nesciat sinistra tua, quid faciat dextera tua, ut sit in abscondito elemosyna tua, ubi seipsum exponit, elemosynam esse in abscondito, dexterarum esse in aperto, sinistrarum tribuens, de qua te alias forsan plura.

Nec omnia

Ne commouear.

Ne commouear, non dicit, ne tangar, ne tenter, ne sentiam: Nam fides patiens affectus est, exerceri uult & quiescere non potest nec linitur, uerū uincit fides (ut. j. Iohan. ij. dicitur) nostra: Et Paulus dicit nos a deo semper triumphaturos (id est, triumphatores fieri) in Christo.

Propter hoc lætatum est cor meum & exultauit lingua mea:

Insuper & caro mea requiescet in spe.

Fiduciam speratur affectus dulciss.

Hoc est quod dixi, Ad fiduciam istam cordis bonā de deo, infallibiliter se qui latitiā cordis, & dulcissimū affectum erga deum & omnē creaturā, sic enim credenti spiritus sanctus diffunditur in cor, & rursus cor hoīs diffundit, & dilatat in omnem promptitudinē, omnia gratuito faciēdi & patiēdi, tam coram deo q̄ hominibus, Ibi inimicos nō minus q̄ amicos diligit, efficiūq; uolens omnīū seruus, ut omnibus queat prodesse, suisq; non modo in carnis sensu, sed etiā prodigus factus, Sic psal. iiii. cum dixisset, Signatū est super nos lumen uultus tui dñe, mox secutus dicit, Dedisti latitiam in corde meo, in eodem duo ista cōnectens fidem & latitiam cordis, sicut & hoc loco facit.

Gloria David.

Ad hanc aut latitiam mox sequitur, laus, prædicatio, gratitudo & iactantia diuinæ misericordiæ, idq; cum summo cordis gaudio: ideo nō simpliciter dicit, Confitebitur lingua mea, sed exultabit, id est, exultans & tripudians loquetur. Quē affectū hebraus etiā altera nominis Epitasti & Emphasi sic eloquit, Exultauit gloria mea, nos lingua, pro gloria, habem⁹, Videturq; mihi Dauid hoc sibi præ cæteris proprium habere, ut gloriā suam appeller, uocalem & exteriorē laudem & iactantiam, in qua non modo deum glorificet, sed præ teneritudine affectus, etiā gloriatur in ea glorificatione, sic enim loquitur psal. cv. Ut confiteamur nomini sancto tuo, & gloriemur in laude tua. Et. xxxix. Ut ceter tibi gloria mea, & non compungar, domine deus meus in æternum confitebor tibi. Et. cvij. Cātabo & psallā in gloria mea. Et. lvj. Exurge gloria mea, exurge psalteriū & Cythara, exurgā diluculo. In his omnibus claret, gloriā meam esse idem quod canticū meum, uel uocem meā, qua gloriatur & glorificat. Quare & hoc psalmo cānere debemus, ne gloriā suam Christus credatur appellare famam suam, sed potius officium, quo in deo gloriatur, immo gloriarius & latus deum glorificat, Nec memini hoc usū gloriā meā alibi legisse in scripturis, Itaq; erumpentis latitiæ & exuberantissimi affectus hæc uerba sūt, quod iterum experientia docet, nō lingua nec calamus.

An autē ista omnia in Christi persona dicantur pro tempore passionis suæ quæri potest. Si enim id de derimus, manifestum est, Christum in media passione summa fuisse exultatione gauisum, ut hæc uerba psalmi probat, de qua re multi multa quaesierūt, & nescio an inuenerint, Ego uero arbitror nō esse necessariū ad tempus passionis referri, propheta enim neq; ordinem rei gestæ a Christo seruant, neq; omnia uno loco canunt, multaq; in medio relinquunt, nec est necesse rem gestam ordine texere, dum pphetia in persona Christi aut alterius formatur, Satis est omnia uera dici, ordinēq; rebus gerendis relinquere: Nec Euangelistæ ubiq; ordinem seruāt, Estq; celebrata regula scripturæ intelligendæ, præsertim pphetiæ, multa dici per anticipationem & recapitulationem: Ita & hic dum Christus sese confitetur in patre latum esse & gloriari & prædicare, tacitis omnibus operibus & uirtutib⁹, quas in eodem gaudio fecit, ad ultia



ad ultimam transiit, ac si dicat: Non modo prædicabo & glorificabo, uerum etiam ut taceam opera & uirtutes & totam uitam meam, libens etiam moriar, & eadem fiducia certus sum, quieturam quidem carnem meam mortuam, sed in spe & expectatione certissimæ resurrectionis.

Verbum hebraicum, Requiescet, idem est quod præcedenti psalmo dictum est: Requiescet, seu habitabit in monte sancto tuo, unde Hieronymus hic ueritatem habitacionem, quasi illud psal. iij. dicat: In pace simul dormiā & quietam in puluere deducat, id est, sepeliat, ut possit etiā sic uerti aut saltem intelligi, Caro mea sepeliet in spe. Verum Petrus Actuum. ij. hunc uersum nō iuxta hebraicum, sed iuxta. lxx. citat, nec sepeliēdi uerbum, nec gloriam meam tangens, sensum tamen neutra translatio uitiat.

Igitur noua est hæc propheta de nullo antea audita, unus enim hic & solus Christus generalem illam rotius generis humani dirumpit pœnam, Gen. iij. statutam: In puluere reuerteris, neq; de ullo alio scriptura tale qd loquitur, etiā si pie opinemur, idem de uirgine gloriosa, & sancto Iohanne, scriptura omnes pulueri tradit, solus hic nouo & uere aureo Michtham latissimū affert nuncium, carnem suam non in puluere ituram, sed in pace morituram & expectaturam. Singula ergo uerba & aurea sunt & ponderāda, mea caro, scilicet suam unicam excipiens ab omnium carne, quorum nulla mansit aut quieuit, sed omnis omnium abiit in puluere, ubi mortem indicat, quia separato spiritu uere sicut omnium aliorum mortua fuit. Ingens ergo miraculum similiter mori & non similiter corrumpi. Et caro requiescet, id est, etiam si sepelietur, sicut & aliorum, tamen quietem & pacem habebit, nō enim tangetur ulla putredine aut uerme, quæ pax & quies nullius est alterius carnis. In spe, nō enim in finem ita quiescet, sed expectabit, ut rursus excitetur & uiuat. Ecce q̄ proprijs uerbis Christum prædixit, resurrecturum, quo indicat se clarissimam & plenam habuisse cognitionem Christi morituri & resurrecturi. Et merito hūc locum Apostoli insigniter præ ceteris extulerunt.

**Quoniam non derelinques animam meam in inferno, nec dabis sanctum tuum uidere corruptionem.**

Explicat quod dixerat: Requiescet in spe, ista est spes, scilicet q̄ non derelinques nec corrumpi fines, hoc est, absq; dubio suscitabis. Et placet dici, non spiritum meum, sed animam meā, heb. נַפְשִׁי Naphsi, q̄ anima pro uita in scripturis accipi solet, seu pro anima, in quantum uiuificat & uegetat corpus, ut ostendat spiritus, Christum uere ad uitam corporalem reuocandum esse.

Sanctus hoc loco, חַסִּיד Hasid est, qui gratia spiritus sanctificatus est, & Christus proprie & passim in scripturis appellatur, sanctus dei, sicut Christus domini. Nec inuenietur in singulari numero, facile ullus, qui sanctus dei dicatur, seu sanctus tuus, præter Christum solum, quem & hic solum prædicat David. Hebraismum illum notum existimo, uidere corruptionem pro corrumpi, sicut uidere mortem, pro mori, non uidere mortem, pro non mori, ut est apud Lucam. ij. & Ioannem. viij. quo forte scriptura uititur ad indicandam diuinam uirtutem, cui omnia uiuunt & nihil perit aut corrumpitur, sed nobis perimus & nobis morimur, ac corrumpimur.

Ff - Sensus

*Descendit ad inferos.*

Sensus ergo apertissimus est, per Apostolos tanta copia & diligentia exploratus. Verū & hic coeperunt homines de ingenijs suis nihil non præsumere disputare; An Christus scđm animam seu substantiā fuerit in inferno. Et quid sit eum fuisse in inferno, Magna pars ausa est spiritui contradicere, Animam Christi non fuisse in inferno, nisi per effectum, optimi scilicet glossatores ubi dei, Animam meā, id est, effectum animæ meæ, non dereliques in inferno, Descendit ad inferos, id est effectum fecit apud inferos, uerum, contemporis friuolis & impijs nugis, uerba Prophetæ simpliciter dicta, simpliciter intelligimus, & si intelligere nō possumus, fideliter credamus; Maior est huius scripturæ autoritas, q̄ totius humani ingenij capacitas, ait Augustinus, Vere enim anima Christi scđm substantiā descendit ad inferos, quid autem fuerit aut sit iste descensus, credo nondum esse reuelatum satis saltem omnibus.

*Dolores mortis & inferni.*

Petrus, Actuum, ij, dicit: Quē deus suscitauit solutus doloribus inferni seu, ut græcus habet, mortis, in quo uidetur significare, Doloribus mortis seu inferni Christum fuisse solutum in resurrectione. At dolores mortis & inferni, pro eodem ego habeo: Infernus enim est pavor mortis, id est, sensus mortis, quo horrent mortem, & tamen non effugiunt damnati, nam mors contemporanea non sentitur, estq; uelut somnus. Videmus autem scripturam duo loca inuicem mortuis, foueam corpori, & infernum animæ. At Petrus hic non dicit, solum infernū seu mortem esse soluta in Christo, sed dolores inferni seu mortis, quia & si multi sancti in sepulchro & inferno absq; dolore fuisse credantur, qui & in pace mortui sunt, tamen Christus sicut cum summo dolore mortuus est, in uidetur & dolores post mortem in inferno sustinuisse, ut nobis omnia superaret. Ita ego interim uerbis Petri inhæreo, donec meliora doctus fuero, ut Christum præ ceteris omnibus, non solum mortem, sed etiam dolores mortis seu inferni sensisse credam, caro quidem eius requieuerit in spe, sed anima eius infernum gustauerit. Atque hoc esse quod dicit: Non dereliques animam meam in inferno.

*Negationum robur.*

Istæ autem negatiuæ: Non dereliques, nec dabis &c. uehementiores sunt affirmatiuæ, & robustius resurrectionem testantur, q̄ si dixisset: Educes de inferno animam meam & seruabis sanctum tuum, sicut ibi: Maria optimam partem elegit, quæ non auferetur ab ea, id est, certissima manebit. Ita hic: Non dereliques, id est, uelocissime reduces. Et, non dabis sanctum tuum uidere corruptionem, id est, festinabis me reducere in sanitatem & uitam corporis. Videtur enim mihi spiritus in his uerbis simpliciter loqui & magis ad tempus respicere, q̄ ad locum uel aliam circumstantiam, ut sit sensus: Non dereliques me tanto tempore, quāto naturaliter solent corrumpi cadauera, sed intra tempus quo solēt incipere, corrumpi, Me suscitabis: Alioquin possit sermo uideri de aliquo dictus, qui usque in diem iudicij per miraculum in inferno & sepulchro seruaretur incorruptus, quamuis nullus ita sit seruatus, saltem ante Christum, de q̄ hæc primo loquitur. Etsi enī sunt (ut in Aegypto) corpora myrrina, quæ contra putrefactionem ualent, peruncta & seruata, caro tamen consumpta est & exhausta, contra quod hic dicitur: Caro mea requiescet in spe.

Notas mihi fecisti uias uitæ, adimplebis me lætitia cū uultu tuo.  
Delectationes in dextera tua usq; in finem.

Hieronymus: Ostendis mihi semitam uitæ, plenitudinem lætitiarum ante uultum

uultum tuum, decores in dextera tua æternos, ubi uidetur ab uno uerbo, offerri  
 dis, tres accusatiuos regi, quorū unum noster mirauit in uerbum, adimplebis,  
 & tertium in nominatiuum, delectationes, nihil tamen de sensu perit. Nam &  
 Petrus Actuum. ij. nostrum sequitur. Describit autem gloriam resurrectionis  
 tribus partibus, uita immortalis, lætitia interna, & iucunditate æterna. Via uitæ  
 dicitur, q̄ sit a morte ad uitam, quasi illud Apostoli Romanos, vj. dicat: Chri-  
 stus resurgens ex mortuis, iam non moritur, mors illi non ultra dominabitur.  
 Christus enim antea non nouerat uiam uitæ experimentaliter, cum hæc uita  
 sit, non nisi uia mortis, seu cursus potius ad mortem, sed resurgere ad uitam im-  
 mortalem, hoc uere est, nosse uiam uitæ, q̄ solius est uirtutis & dextræ dei, si  
 cur hic dicit: Notas mihi fecisti uias uitæ, & psalmo. lxxxvij. Quis est homo  
 qui uiuet & non uidebit mortem, eruet animam suam de manu inferni: quasi  
 diceret, nullus. Sic psal. lxxvj. uocat: Dominus dominus exitus mortis, & deus  
 saluos faciendi. Quæ absorpta morte per uictoriam, educat in uitam æternam, si  
 cut promissit Osee, xij. De manu mortis liberabo eos, de morte redimam eos,  
 Ero mors tua, o mors, morsus tuus inferne. Consolatio abscondita est ab ocu-  
 lis meis, quia ipse inter fratres diuider; Adducet uentum urentem dominus de  
 deserto ascendentem & siccabit uenas eius, & desolabit fontem eius, id est, pec-  
 catum, quod est uena, fons, stimulus, uirtusq; mortis &c.

Resurrectio  
 nis triplex;  
 gloria.

Resurrectio  
 est uia uitæ;

Lætitia interna, quam Hieronymus plenitudinem lætitiarum ante uultum  
 dei, non male intelligit. Ea est, qua uidetur deus deorum in Zion, sicuti est &  
 facie ad faciem, ubi est satietas plena cordis nostri, ut digna Emphasi, plentiu-  
 do lætitiarum appelletur, in hac enim uita ex parte cognoscimus, ex parte pro-  
 phetamus, ita ex parte lætamur, & omnia ex parte habemus, cum autem uene-  
 rit quod perfectum est, euacuabitur quod ex parte est. j. Cor. xij. ubi nō misce-  
 bitur risus dolori, nec luctus cōsolationi, sicut necesse est in hac uita fieri, dum  
 peregrinamur a domino, & per speculum uidemus in ænygmate. Quare læti-  
 tiam huius uitæ, lætitiā ænygmatis, illius uero lætitiā, uultus seu faciei domi-  
 ni, appellare possumus. Sic enī hebraice sine præpositione, cū, & ante, dicitur,  
 Plenitudinem lætitiarum faciei tuæ, ut plenitudinem lætitiarum e facie & reue-  
 lata gloria dei pendere intelligamus, sicut psalmo sequente dicit: Satiabor cū  
 apparuerit gloria tua. Et Christus Ioan. xij. Qui diligit me, diligetur a patre  
 meo, & ego diligam eum & manifestabo ei meipsum. Hæc est lætitia æterna,  
 quia plenitudo lætitiarum, quæ lætitiæ in hac miseria sanctis impartitur, sint stil-  
 læ quædam & tenues prægustus, qui cito transeant, plenitudo autem reuelata  
 facie dei, perfecta est manēs in æternū. Hæc enim est uita æterna, ut cognoscā-  
 te solū uerum deum, & quem misisti Iesum Christum, Ioan. xvij.

Iucunditates in dextera tua in finē, quas Hiero. decores æternos posuit, signi-  
 ficare mihi uidentur dotes reliquæ corporis & animæ & omnium rerum, seu,  
 ut nostri uocant, obiectiuas delectationes, quas Christus ex sua gloria habet;  
 Sicut enim in sinistra dei, id est, in hac uita in omnibus est tristatus, ita in dexte-  
 ra, id est, futura uita in omnibus delectatur. Qui enī in dei uisione beatus est,  
 in omnibus simul iocū datur, nullum hic triste spectaculum, sed omnia iucun-  
 da, omnia cooperantur, applaudunt, fauent, arident, sicut canit Lactantius;  
 Ecce renascentis testatur gratia mūdi omnia cum domino dona redijisse suo.  
 Eadē hic dictio est sceminino genere נְעִימוֹת Neimoth, quæ superius mascu-  
 lino Neimin posita est, fines ceciderūt mihi in pulchris seu iucūdis, utrobique  
 Christi iucunditatem in rebus extra deum existentibus, docens. Ac hebræus

Ff ij ultimam

ultimam dictionem *נצח* Netzah, quod nos in finem, Hiero. æternos reddidit, ambigua constructione habet, ut ad omnes tres partes queat aptari, ad uitas uitæ, ad plenitudinem lætitiarum & iucunditates in dextera dei, ut singulas uocari possimus, uel ad solas iucunditates, quas decore Hieronymus uocat, forte q̄ decoris & formosis delectemur & iucundemur. Hæc erunt, cum corpora nostra, cœlum & terra in nouam creaturam mutabuntur in fine mundi, ubi omnia erunt iucunda & dulcia, interim expectatio creaturæ in gemiscu & parturit donec & ipsa liberetur a corruptione & uanitate in libertatem gloriæ filiorum dei, Ro. viij.

Dextera dei (ut diximus) futuram uitam, seu eam quæ est in conspectu dei significat, quæ nunc incipit, per fidem cõsummanda, per speciem, Amen. Videmus ergo, hic psalmus unus omnium q̄ clare resurrectionem & gloriam resurrectionis prædicet, ut merito Michtham aureolus dicitur sit Dauid, qui hoc loco insigniter suam in rebus diuinis cognitionem, signauit.

## PSALMVS DECIMVS,

sextus, Hebræis decimusseptimus.

ORATIO DAUID.

NOVVS titulus, Oratio Dauid, q̄ satis indicatur psalmi materia, quæ nihil nõ dissimilis uidet̄ ei quæ psal. v. & multis alijs tractatur, generalis, scilicet que rimonia populi iusti aduersus nocentissimos persecutores spirituales hypocritas, cū quibus ei assidue bellū est, sicut inter Iacob & Esau, de iusticia & uerbo ueritatis, Itaq̄ ex prædictis sæpius tractatis facilis erit & huius psalmi sensus.

**E**XAUDI domine iusticiam meam, intende deprecationem meam, auribus percipe orationem meam. Non in labijs dolosis.

MAGNUM affectum & lachrymas multas indicat ter repetita & ingemita nata petitio, quia reuera spirituales homines magis urit dolus q̄ uis impiorum, q̄ uim manifestam licet cognoscere & periculis cognitis, utcumq̄ occurrat *pro dei rere*. At dolus ante perdit q̄ intelligatur, unde & Paulus, ij. Corinth. xj. cum dicitur *gloria debemus* xisser: Quis infirmatur & ego nõ infirmor, grandius in scandalum dixit: Quis scandalifatur & ego non uror: Non ait: Infirmor, sed uror, q̄ minus sic cum infirmantibus, id est patientibus, pati, q̄ propter scandalifatos uri. Et Act. xx. protestatur sese per triënum non cessasse cū lachrymis monens unum quemq̄ ut cauerent a lupis rapacibus, qui post discessionem eius erant intraturi & locuturi peruersa. Et Philip. iij. Multi enim ambulāt quos sæpe dicebam uobis, nunc autē & flens dico, inimicos crucis Christi, quorum finis interitus: Quorum deus uenter est & gloria in confusione.

Si sic Prophetæ, sic Apostoli arserunt & fleuerunt super sui temporis hypocrisis, quando spiritus adhuc plenior erat in Ecclesia, quid non metuendum nobis? Quæ lachrymæ nobis esse possunt satis in his perditis temporibus, tantæ securitatis, in quibus dæmones mortuos esse aut dormire credimus, cū regnent horrida tyrannide, nomine Christi & sanctorum in suas partes rapto & iactato. Verum prædicta sunt satis abunde talia tempora, nos autem insensati sumus & sicut Iudæi, ignorantes implemus ipsi oia, quæ prædicta nobis sunt ab Apostolis.